UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summa Jurisprudentiae Sacrae Universae, Seu Jus Canonicum, Secundùm quinque Decretalium Gregorii Papae IX. Titulos explicatum

Pichler, Vitus

Bibliopolarum Augustanorum, 1723

VD18 VD18 12190187-ddd

5. De Institutione hæredis, & Exhæredatione: de Aditione, Repudiatione, & Petitione hæreditatis. Ubi etiam de Legitima, Falcidia, & Trebellianica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98739

Visual Library

di de reditibus omnibus prospectu Ecclesiæ quæsitis tam ad causas profanas quàm ad pias concessit nuper anno 1691. Innocentius XII. Jodoco Edmundo, Episcopo Hildesiensi; quod refert Stryck. *in appendice ad tract. de Cautelis Testament. in fine.* Ergo vi consuetudinis eadem facultas obtinibilis est ab aliis Clericis; quod enim facere potest rationabile privilegium, & consuetudinem poterit facere rationabilem. 3. Constitutiones Synodales Diœcesis Constantiensis consuetudinem hanc clarè supponunt, quamvis hortentur Clericos, & meritò, ut testentur ad causas pias saltem quoad partem; sic enim habent: *licèt antiquissimæ consuetudini liberè testandi nihil derogatum velint; quia tamen pium, rationique valde consentaneum est, ut Clerici ex hujusmodi bonis honestè tantùm vivant, & quod supererit, in pios usus convertant, seriò monent omnes Clericos, qui circa hujusmodi bona, sive hæredes ex testamento, sive ab intestato relinquant, etiam Ecclesiarum, quibus adscripti sunt, pauperum, aliarúmque similium piarum rationem habeant, ne, dum fortè suis consanguineos ex bonis Ecclesiasticis temporaliter locupletare contendunt, ipsi æternæ salutis discrimen atque jacturam patiantur.* 4. Videmus passim in diœcesibus vigere hujusmodi consuetudinem, qua Clerici de omnibus suis bonis, etiam prospectu Ecclesiæ quæsitis, & superfluis tenentur ad causas tam profanas quàm pias, Prælatis non reclamantibus, imò nec ipso Summo Pontifice, qui utique tenerentur reclamare, si hæc consuetudo esset illegitima, vel contra jus Naturale aut Divinum: sed ab actu ad potentiam est bona argumentatio. 5. Hanc consuetudinem vel indè etiam rationabilem esse dicamus, quòd per facultatem liberè testandi adimatur vel refrænetur Clericorum luxus, pompa, prodigalitas, item quòd alliciantur indè viri nobiles & aliis dotibus insignes ad amplectendum statum Ecclesiasticum, si sciant, se posse suis, quos amant, aliquid relinquere post mortem.

Quæ opponuntur, vel fundantur in eo, quòd Clerici non sint domini reditum Beneficiales superfluorum, vel quòd eos Jure Divino vel Naturali teneantur erogare in pias causas, vel in erronea persuasione, quòd talis consuetudo nequeat esse rationabilis. Quæ in nostris principiis non stringunt, vel promptam habent solutionem, quam etiam habent *demonstrationes* P. Schmier, ut adeò illas adducere supervaneum censeam.

§. V.

De Institutione hæredis & Exhæreditione, de Aditione, Repudiatione, & Petitione Hæreditatis. Ubi etiam de Legitima, Falcidia, & Trebellianica.

Sciendum 1. *Hæredem* dici, qui vel ex dispositione Legis ab intestato, vel ex voluntate Testatoris vi testamenti, succedit in universum jus defuncti, seu in omnia jura, activa & passiva, commoda & onera illius. *l. 37. ff. de acquir. vel amitt. hæred. l. 59. ff. de R. J.* Nec obstat, quòd aliquis possit institui hæres in re certa, utl dicemus; quia talis vel simul succedit in universum jus, & salvatur definitio, vel, si non succedit, stricte hæres non est. Hæres alius est 1. *Institutus* seu *ex testamento*, & alius *ab intestato*. 2. Alius est *Necessarius*, qui à Testatore excludi testamento nequit sine justa exhæredandi causa, sed institui debet saltem quoad Legitimam, vel nominatim exhæredari, quales sunt liberi (& his deficientibus nepotes, & alii descendentes in linea recta, atque his deficientibus ascendentes in eadem linea &c.) *§. 5. Inst. de exhæred. lib.* qui tamen de Jure Prætorio & recentiori non amplius sunt necessarii in hoc sensu, quòd hæreditatem, si nolint esse hæredes, repudiare nequeant. *§. 2. Inst. citando. l. 57. ff. de acquir. hæred.* Alius est *Extraneus*, seu *Voluntarius*, qui non necessariò instituendus est, nec necessariò hæreditatem adit, sed excludi potest, sicut & ipse hæreditatem repudiare. 3. Ex Necessariis alii vocantur hæredes *Sui*, qui nempe tempore mortis testatoris in ejus patria potestate sunt, utl liberi necdum emancipati respectu patris. *§. 2. Inst. de hæred. qualit. & differentia.* item nepotes in patria potestate avi existentes, modò primum obtineant gradú tempore mortis avi, vel saltem delatæ hæreditatis, quod fit, si pater ipsorum jam est prærmortuus. *§. 2. 7. & 8. Inst. de hæred. quæ ab intest. defert.* Hodie autem, cùm filii vi consuetudinis per nuptias justas patria potestate excedant, pariter nepotes excident jure suitatis. Concordat *Nov. 118. c. 1.* vi cujus filii emancipati nepotibus præferuntur, atque sic eorum jus suitatis impediunt. Vocantur hæredes *sui*, quia quasi non succedunt, sed retinent; cùm pater, & filius in patria potestate constitutus, fingantur esse una eadémque persona, identitate juridica. *l. ult. C. de impuberum & aliis subst.* Principalis effectus suitatis est, quòd hæres suus, qui abstinuit ab aditione hæreditatis, si minor sit, per integrum septennium à tempore, quo evasit major, repetere eandem possit, si major, per triennium, modò res necdum sint distractæ. *l. fin. C. de repud. vel abstin. hæred.* Si autem hæres non sit suus, vocatur *Extraneus*, qualiscunque fuerit, ut adeò hæres extraneus de Jure & strictè loquendo opponatur hæredi *suo*, quamvis etiam minùs strictè opponatur Necessario non-suo, & idem sit ac *voluntarius*.

Sc. 2. *Hæreditatem* duplici modo sumi. 1. *formaliter* pro jure hæreditario, & in *l. 62. ff. de R. J.* dicitur esse successio in universum jus, quod defunctus habuit, h. e. jus succedendi in omnia jura defuncti. 2. *objectivè* pro rebus hæreditariis, seu pro universitate, res omnes & jura à defuncto relicta complectente. *l. 20. ff. de petit. hæred. l. 59. 62. 196. ff. de R. J.* possessio tamen rerum, quam habuit defunctus, & quæ facti sunt, non ipso Jure transmittitur ad hæredem: nec ex delicto defuncti in ordine ad pœnam tenetur hæres: licèt delictum defuncti noceat ipsi in ordine ad præscribendú tempore ordinario, & actio rei, non pœnæ, persecutoria, etsi ex delicto defuncti descendat, contra eum institui possit. Hæreditas priori mo-

modo accepta est jus incorporale, & dividi nequit, sumpta verò posteriori modo quoad res in hæreditate contentas dividi potest. Si vendas hæreditatem sumptam pro jure illo, universitatem omnium bonorum & jurium, quæ priùs erant defuncti, complexo, & res illius singularis evincatur, non teneris emptori de evictione. *l. 1. C. de Evict.* quia non censeris res singulas vendidisse, sed jus incorporale, quod tibi certò competebat. Et quando adis hæreditatem, tota quidem cum omni jure statim fit tua, non tamen mox res singulæ. per *l. 208. ff. de V. S.* & hinc istas vindicare nequis, sed, si alius detineat, per petitionem hæreditatis consequi debes.

56 Sc. 3. Hæreditatem, postquam delata est, & certò constat, quis sit hæres vel ex testamento vel ab intestato, acquiri per aditionem, & immixtionem: amitti autem repudiatione, & abstentione. *Aditio* hæreditatis est actus legitimus hæredis extranei (id est, non sui) verbis vel factis declaratus, quo quis hæreditatem sibi delatam sibi vendicat, seu hæreditatem admittit; si suam voluntatem admittendi declarat verbis, vocatur etiam *agnitio* aut aditio in specie, si factis, vel aliis signis declarat, v. g. res hæreditatis distrahendo, æs alienum solvendo, debita exigendo &c. propriè & strictè dicitur *pro hærede gestio*: si hæres sit *suus*, non tam est aditio quàm *immixtio*, & sic etiam vocatur; quia talis hæres non tam acquirit, quàm acquisitam hæreditatem retinet, eique se immiscet per talem animi sui declarationem. Effectus *aditæ* hæreditatis est acquisitio juris & dominii omnium rerum, quæ in hæreditate continentur, licèt non hoc ipso statim possessionis. 2. quòd adiens hæreditatem transmittat illam ad hæredes proprios: hæreditas autem non adita, licèt delata sit, regulariter ad hæredes non transmittitur. *l. un. C. de Caducis tollend.* quod enim quis ipse nunquam est consecutus, ad alios transmittere nequit. Excipitur tamen casus, quo hæreditas adiri non potuit: & quo hæres intra annum deliberandi decedit. Vide D. Verlohner *de Modis acquir. per Universitatem. a. 1. q. 8. à n. 4.* ubi & alios casus exceptos refert. 3. obligatio solvendi omnia debita defuncti, ejúsque obligationibus satisfaciendi, etiam ultra vires hæreditatis (si hæres adiit absque Inventario) item solvendi legata, fideicommissa, & totam voluntatem defuncti adimplendi. *Abstentio* econtra & *Repudiatio* hæreditatis est declaratio voluntatis verbis vel actu facta, de hæreditate sibi delata non retinenda vel non admittenda: si hæres *suus* declaret, quòd nolit se immiscere hæreditati, strictè *abstentio*, si *extraneus*, quòd nolit eam admittere, propriè *repudiatio* est. Sicut autem aditio hæreditatis & immixtio debet fieri purè & sine conditione, cùm actus legitimi non recipiant conditionem. *l. 77. ff. d. R. J.* ita vicissim abstentio & repudiatio respuunt conditionem. Repudiationi vicina est *Renuntiatio* hæreditatis, quando quis nempe vel hæreditatem jam aditam rursus dimittit (casu quo id fieri potest) vel jure aut potiùs spe ad futuram, & necdum delatam, cedit. *Deferri* hæreditas dicitur, quamprimum aliquis statim eam adire vel repudiare potest, prout voluerit. *l. 151. ff. de R. J.*

Sc. 4. Cùm hæres adeundo hæreditatem contrahat tantam obligationem, nempe debiti defuncti omnia, & legata, etiam hæreditatem excedentia, solvendi, eidem à Jure concessum esse facultatem & *tempus deliberandi*, an hæreditatem adire velit, nec ne; intra quod inquirere potest, quanta sit hæreditas, quanta debita exsolvenda. *t. t. ff. & C. de Jure delib.* Potest quidem hæres adire hæreditatem intra 30. annos, si creditores defuncti vel legatarii non urgeant; si tamen instent, flagitare oportet tempus deliberandi, vel statim adire. Hoc tempus, licèt non flagitetur, de Jure Recentiori conceditur, & quidem integer annus. *l. 19. C. eod.* Quia verò neque per hoc remedium deliberandi hæredibus semper satis fuit consultum, eò quòd æs alienum, priùs latens, postea emerserit, concessum illis est in *l. ult. §. 22. eod.* jus conficiendi *Inventarium*, non vera necessitas conficiendi imposita. *l. cit. §. 14.* Inh. varia auctoritate publica etiam invitis hæredibus, ubi exigit necessitas, conficiuntur Inventaria, si nempe hæredes sint vel minorenes, vel aliqui absentes, vel rustici, & sic periculum futuræ litis immineat, vel periculum sit, ne creditores defraudentur propter inopiam hæredis. *Statuta Bavar. tit. 43. a. 1.* & ibi Cancr. Schmid, qui docet, extra hos 4. casus neminem hæredem invitum cogi posse ad Inventarium admittendum, ac propterea justè reprehendi & gravis peccati reos agit illos Judices, qui plebeios indiscriminatim cogunt ad confectionem Inventarii, ut sic hæredes expensis Judicialibus onerent, & ipsi suos loculos farciant. Est autem *Inventarium* nihil aliud, quàm legitima & specifica annotatio omnium bonorum, jurium, debitorum &c. in hæreditate repertorum: ut verò sit legitima, debet inchoari primo mensis à tempore, quo hæredi innotuit, hæreditatem sibi esse delatam, atque absolvi intra tres menses à dicto tempore; confici debet in præsentia illorum, quorum interest, uti creditorum & legatariorum &c. atque subscribi ab hærede quantitatem rerum exprimente, vel à Notario specialiter rogato, si hæres subscribere nequiret; demum desuper erigendum est à Notario Instrumentum. Sed hæc requisita Juris non ubique observantur omnia, & hinc attendenda locorum consuetudo. Privilegia & effectus Inventarii sunt 1. quòd hæreditatem adiens non teneatur creditoribus & legatariis ultra vires hæreditarias solvere. 2. nec attendere, quis creditorum habeat privilegium prælationis; adeóque solvere potest primò venientibus, modò id faciat bona fide. 3. quòd hæres conservet suas actiones, quas ipse habuit adversùs defunctum, ita ut retenta ordinis ratione cum cæteris creditoribus parem fortiatur fortunam; quæ actiones aliàs per aditam hæreditatem tollerentur per confusionem. 4. quòd retinere, vel deducere possit Falcidiam, seu quartam partem de hæreditate, si ea per legata exhauriretur: quod tamen ad Trebellianicam

nicam extendi non videtur. Gail. *l. 2. observ. 138.*

58 Sc. 5. *Hæredi*, qui adijt hæreditatem, competere duo remedia ad eam consequendam à tertio, qui eam detinet, nempe *petitionem hæreditatis*, & *interdictum quorum bonorum utile*, sive tertius illam possideat *pro hærede*, h. e. putans & asserens se hæredem esse, sive *pro possessore*, h. e. si possidens non aliam suæ possessionis causam reddere potest, quàm quia possidet. Pariter duo remedia competunt *Possessori bonorum*, seu illi hæredi, cui hæreditas debetur Jure Prætorio, non Civili, videlicet *possessoria bonorum petitio*, & *interdictum quorum bonorum directum. t. 4. ff. de hæred. petit. de possess. bonorum*, & *de Interdicto quor. bonor.* Petitio hæreditatis, & possessoria bonorum petitio, habent locum in Judicio Petitorio, interdictum quorum bonorum verò, tam utile quàm directum, in Possessorio; quando enim Prætor dat *bonorum Possessionem*, quæ nihil est aliud, quàm jus persequendi & retinendi patrimonii, seu rerum, quæ fuerunt morientis, non tribuit actualem rerum & corporum possessionem aut detentionem. *l. 3. ff. de bonor. possess.* Cæterùm licèt Prætor directè contra Jus Civile nihil possit, aut hæreditatem dare iis, quos leges repellunt, tamen indirectè (sicut alias leges Civiles mitigavit, emendavit, supplevit, ita & testamentarias mitigavit &c. in pluribus casibus, quos refert D. Verlohner *art. 6. n. 4. & 5.* ut adeò hodie etiam habeat ad hunc locum *bonorum possessio*, seu ut alicui de Jure Prætorio debeatur hæreditas. v. g. Prætor ad succedendum admittit indistinctè tam cognatos, quàm agnatos. *l. 1. ff. unde cognati*; cùm tamen Jus Civile solos agnatos admittat. Sed hæc ad Legistas pertinent.

59 Sc. 6. *Legitimam* vocari illam portionem hæreditariam, quæ hæredibus necessariis necessariò debet relinqui in Testamento. Hodierno Jure, si liberi non sint plures quàm quatuor, Legitima liberis debita est *triens*, seu tertia pars hæreditatis totius, nimirum quatuor unciæ: si verò liberi sint plures, quàm quatuor, est *semis*, vel *semissis*, seu media pars hæreditatis, nimirum sex unciæ illius: quæ pars, *triens*, vel *semis*, æqualiter est dividenda inter liberos. *Auth. Novissima C. de Inoffic. testam. & Nov. 18. c. 1.* Ut hoc rite intelligas, scire te oportet, massam totius hæreditatis dividi in duodecim uncias, seu partes, à Jure: duæ unciæ vocantur *sextans*, quasi pars sexta: tres unciæ *quadrans*, & est quarta pars: quatuor unciæ *triens*, quasi tertia pars: quinque unciæ *quincunx*: sex unciæ *semis*, vel *semissis*, id est, media pars: septem unciæ *septunx*: octo unciæ *bes*, h. e. bis triens: novem unciæ *dodrans*: decem unciæ *dextans*: undecim unciæ *deunx*: demum tota hæreditas *As*. Porro Legitima debetur ex solis & omnibus, imò singulis, bonis à Testatore relictis, deducto prius ære alieno, & expensâ funeris. *l. 8. §. 9. & tit. ff. de Inoffic. test. l. 39. ff. de V. S.* Quæ autem hæredes necessarii jam acceperunt à testatore in vivis per modum dotis, donationis propter nuptias &c. conferri & computari debent in Legitimam, nisi testator expressè contrarium voluerit. Text. & DD. *in t. t. ff. & C. de Collat.* *Nov. cit. c. 6.* ubi antiqua Jura aliqualiter corriguntur. Conferri tamen non debent sumptus, quos parens fecit in educandis liberis, studiorum, opificii, vel artis addiscendæ causâ. Quid statuat Jus Bavaricum de Collatione bonorum, reperire est *tit. 36. à n. 14.*

60 Sc. 7. *Falcidiam* esse quartam partem bonorum testatoris, tempore mortis repertorum in ejus patrimonio, quæ deductis expensis funeralibus ac ære alieno residua debetur instituto (vel etiam venienti ab intestato) nimiis legatis gravato. *§. 2. & 3. Inst. de Lege Falcidia.* Appellationē habet à Tribuno-plebis Falcidio, qui hanc legem seu plebis-scitum posuit, ut, si fortè propter copiam legatorum hæredi non maneret quarta pars bonorum defuncti, iste de omnibus legatis juxta proportionem illorū aliquid defalcare possit, usquedum obtineat quartam hæreditatis partem. Subjacent huic detractioni & Falcidiæ etiam donationes mortis causâ, si res sic donatæ reperiantur in bonis defuncti tempore mortis. *l. 18. C. ad L. falcid.* In potestate tamen testatoris est prohibere detractionem falcidiæ de legatis &c. & ubi expressè prohibuit, locum non habet. *Auth. sed cùm testator. Cod. eod. Nov. 1. c. 2. pr.* Sed Jus Bavaricum hanc potestatem negat testatori. *t. 38. art. 2.*

61 Sc. 8. *Trebellianicam* esse pariter quartam partem omnium bonorum testatoris, non tempore mortis repertorum, sed tempore restitutionis faciendæ, quæ deductis funeralibus & ære alieno residua debetur hæredi instituto, qui nimiùm gravatus est fideicommisso universali, ac tam excessivo, ut ipsi non maneret quarta pars. *§. 7. Inst. de fideicommiss. hæredit.* Sicut igitur Falcidia de excessivis legatis, ita *Trebellianica* de excessivo fideicommisso universali detrahitur, usquedum hæredi salva sit quarta pars totius hæreditatis. Imò probabiliùs etiam de fideicommissis particularibus Trebellianica (non Falcidia) saltem spectato Jure Communi *§. 7. cit.* locum habet.

62 Dico jam 1. In omni testamento debet instituī hæres, vel unus vel plures. 2. licèt institui possit sub quacunque verborum forma. 3. conditionatè, vel purè. 4. etiam in re certa. 5. non tamen in aliena. Pars 1. est certa ex *l. 3. ff. de his, quæ in testam. delent. v. non potest. & §. 4. inst. de hæred. instit.* Pars 2. ex *l. 15. C. h. t.* Pars 3. ex *§. 9. Inst. & l. 6. seqq. ff. de hæredib. instit.* hæres tamen *suus* sub conditione casuali institui nequit, per *l. 10. & fin. ff. de condit. Instit.* ut tenet communior. Interim si testator institueret sub conditione impossibili, *si* v. g. *per aërem volaverit Titius; digitō cœlum tetigerit &c.* vel sub conditione turpi, & bonis moribus repugnante, v. g. *si fratrem occiderit; si stuprum commiserit &c.* habentur pro non adjectis, adeóque institutio censetur esse pura, & non conditionata, nec suspensa usque ad eventum conditionis. *§. 10. Inst. de hæred. inst. l. 1. & 14. ff. de condit. Institut.* Excipe, nisi pater instituēret filium sub conditione turpi; quia tale testamentum foret omnino nullum. *l. 15. ff. eod.* Rursus excipe, siquis instituēret hæredem sub conditione, cujus eventus dependet à tertio. v. g. *hæredem*

instituo Sempronium, si Titius voluerit. l. 68. ff. de hæred. inst. Sicut enim supremum elogium, seu ultima voluntas, conferri in alienum arbitrium non potest, ita neque conditio in arbitrium tertii. Pars 4. ex *Nov. 115. c. 5.* In *re certa* autem instituti dicitur, cui tanquam hæredi assignatur à testatore res certa in individuo, vel certa pecuniæ quantitas: consequenter aliud est, quàm instituì in *certa parte* hæreditatis, v. g. in triente, semisse, dodrante, sextante &c. quo casu res in individuo non designantur. Sed in *re certa* diversimodè potest fieri institutio: si plures hæredes merè extranei instituantur, unus autem (vel plures) in re certa, alius verò, vel alii simpliciter vel universaliter (vel in certa parte hæreditatis) v. g. hoc modo: *Titium Sempronium & Cajum pro hæredibus instituo, ac volo, ut Titio pro portione hæreditaria detur mea domus*; tunc Titius, qui in re certa est institutus, habetur pro legatario, & capit tantùm illam rem certam, nempe domum, reliqui verò, nempe Sempronius & Cajus, in residua hæreditate succedunt æqualiter. *l. 13. C. de hæred. inst.* Si autem plures hæredes instituti sunt in re certa æqualis vel inæqualis valoris, nullus verò alius simpliciter vel universaliter, v. g. hoc modo: *Titium & Cajum hæredes instituo, volóque, ut Titio detur domus, Cajo supellex argentea*; tunc quilibet capit illam rem certam tanquam prælegatum, in residua autem hæreditate æqualiter succedunt. *arg. l. 9. §. 13. & l. 35. pr. ff. eod.* Quòdsi verò unus solus instituatur hæres, & quidem in *re certa* tantùm & determinata, v. g. sic: *Titium pro hærede instituo, eique pro portione hæreditaria assigno meam domum, vel 1000. florenos*, tunc Titius non solùm capiet hanc rem certam, sed tanquam hæres ex asse totam consequetur hæreditatem, per *jus accrescendi*, ut vocant. Idem esset, si in *certa parte* seu *quota* hæreditatis, v. g triente fuisset institutus. per *§. 7. Inst. & l. 1. §. 4. ff. eod.* Ratio, quia nemo paganus potest partim testatus, partim non testatus decedere. *l. 7. ff. de R. J.* Ab hac tamen regula excipitur casus, quo hæres institutus non est capax totius hæreditatis, uti filius merè Naturalis, qui, exstante legitima sobole, non in solidum, sed in unica tantùm uncia potest esse hæres patris: item quando testamentum per *querelam inofficiosi* rescinditur, & filius suam partem tanquam ab intestato consequitur. Pars 5. ex *Auth. Ingressi C. de SS. Eccl.* Unde nec de rebus extra familiam alienari prohibitis hæres extraneus instituì potest, aut de rebus fideicommissò oneratis &c. nempe propter defectum liberi dominii.

63 Oppones. Si hæres instituì possit sub conditione possibili, tunc aliquis sic testari poterit: *Cajam instituo hæredem, si non nubat:* sed talis conditio invalidè adjicitur, & pro non adjecta habetur, ita ut Caja succedat, licèt nubat. *l. 62. seqq. ff. de condit. & demonstr.* ergo. ℟. dicta conditio specialiter est excepta in Jure, si sit sermo de Virgine, vel tali persona, quæ nunquam fuit in Matrimonio, idque in favorem Matrimonii, & bonum Reipublicæ. Unde si vidua, vel viduus, institueretur sub conditione, si non ampliùs nubat, valeret conditio, & eâ non impletâ non acquireretur hæreditas. Urgebis: ergo etiam habebitur pro conditione non adjecta, si testator dicat sic: *Caja sit hæres* (vel Titius) *si illa ingrediatur Religionem* (vel Titius incipiat SS. Ordines) quia ingredi Religionem in effectu idem est ac non nubere: sed hoc est falsum. per *c. 2. de condit. appos.* ergo & prius est falsum. ℟. *N. Illatum*; quia Jura *citt.* sustinent in favorem Religionis &c. hanc conditionem *si Religionem ingrediatur*, pro nulla autem habent & inefficaci illam, *si non nubat*: neque ista in odiosis comprehenditur illa. Cæterùm licèt leges citatæ solùm loquantur de Legata conditionatè relictis, DD. tamen communiter extendunt etiam ad hæreditatem, & bene. *arg. Nov. 123. c. 37.*

Dico 2. Hæredes esse & instituì possunt omnes, tam personæ singulares, quàm communitates, nisi ipsis obstet specialis prohibitio. Communis ex *pr. inst. & l. 31. ff. de hæred. instit.* qui autem prohibentur ut *incapaces*, abolitione vel tantùm respectivè, alii autem etiam ut *indigni*: si priores instituantur, succedunt illi, quibus debetur hæreditas ab intestato: si ultimi, succedit Fiscus, cum obligatione tamen solvendi debita, legata, & fideicommissa juxta vires hæreditatis. *l. 11. & 14. ff. de Jure Fisci.* Et *absolutè incapaces* excluduntur 1. hæreticis tolerati, eorúmque fautores. 2. apostatæ à vera fide Christiana. 3. deportati, quibus hodie æquiparantur banniti bannô Imperii. 4. damnati ad metalla, quibus æquiparantur damnati ad triremes. 5. damnati ad ultimum supplicium. 6. liberi perduellium & reorum criminis læsæ majestatis. 7. persecutores alicujus Cardinalis. *l. 4. & auth. credentes C. de hæret. l. de Apostat. l. 1. C. de hæredib. inst. l. 3. ff. de his quæ pro non scriptis hab. l. 29. ff. de pœnis. l. 5. in C. ad L. Jul. Majest. c. 5. de pœnis in 6.* Ex Communitatibus civitates hostium, communitas Judæorum, & quodvis collegium illicitum. *l. 1. C. de Judæis. l. 8. C. de hæred. instit.* Item Ordines Religiosi, bonorum temporalium etiam in communi non capaces, uti Franciscanorum strictæ Observantiæ, & Capucinorum. Reliquorum Religiosorum Monasteria & Collegia instituì pro hæredibus possunt, imò etiam Religiosi in particulari, sed tantùm intuitu Ordinis, vel certi Monasterii aut domûs Religiosæ, cui, & non Religioso instituto, acquiritur hæreditas. Ut *incapaces respectivè* excluduntur liberi naturales respectu patris ultra unciam, si exstet legitima soboles. *l. 2. C. de Natural. lib.* Et spurii ex damnato coitu nati respectu utriusque parentis, non verò respectu aliorum. *Auth. licet C. eod. Auth. Ex complexu C. de incest. Nupt.* Denique *ut indigni* repelluntur, qui defunctum vi aut fraude prohibuerunt condere, vel mutare testamentum: qui testatoris interfectorem non accusat, & punitionem non exspectat: qui occiso testatori non succurrit, cùm facilè potuisset: maximè qui testatorem occidit ipse. Vid. de his P. Schmalzgrueber *h. t. n. 91. 92.*

Dico 3. Hæredes instituì debent, quos si pro

prè *n. 54.* vocavimus Necessarios, non quidem in rota substantia hæreditatis, sed saltem in Legitima, eáque non onerata, ac honorabili titulo hæredum vocari debent, vel nominatim exhæredari. Communis & satis certa. Quòd vel hæredes instituí debeant, vel exhæredari, similiter ex *pr. & §. 5. Inst. de exhæred. lib. Auth. non licet C. de liberis præter. & Nov. 115. cap. 3.* Et quidem, si hæres *suus* prætereatur omnino, testamentum erit nullum ipsò Jure, sive sit mas sive fœmina. *pr. & §. 5. Inst. cit. l. 1. ff. de injust. rupt. irrit. fact. l. 4. C. de liber. præterit.* Si verò non sit *suus*, seu in patria testatoris potestate non existens, rescindibile est per querelam inofficiosi, de qua in *§. seq. n. 84.* Quòd verò non in rota substantia, sed in legitima sint necessariò instituendi, patet ex eadem *Nov. 115. c. 3. & Auth. Novissima C. de inoffic. test.* Quòd relinquenda sit titulò hæreditariò & institutionis, non legati aut donationis mortis causâ, & illi sub honorabili hæredum nomine vocari debeant, constat ex *Nov. cit.* ubi Jus antiquum fuit correctum. Quòd denique legitima onerari nequeat fideicommissô, conditionibus odiosis, vel alia ratione, sed liberè relinqui debeat, per modum regulæ traditur in *l. 32. 36. §. 1. C. de inoffic. testam.* &, si onus adjiceretur, illud pro non adjecto haberetur. *l. 32. cit.* Interim tamen dictæ regulæ innumeras limitationes afferunt DD. & ex his Ferd. Vasq. *de Success. & ult. vol. tit. de Testatoris potentia à n. 406.* adducit omnino centum. Sic in Bavaria, ubi filiæ Illustres renuntiare debent hæreditati paternæ, dote congrua contentæ, imò ipso Jure pro renuntiatis habentur juxta decretum Electorale de anno 1672. 20. April. non conceditur ipsis actio ad supplementum, licèt illa dos accepta non adæquet legitimam. *Landtrecht. tit. 36. a. 6.* Quando autem & quomodo exhæredari possint dicti hæredes, patebit ex assertione seq. Prius verò

66 Quæres, quinam sint illi hæredes necessariò instituendi in legitima saltem; & quanta hæc sit respectu singulorum? R. sunt 1. liberi legitimi, sive emancipati, sive in patria potestate adhuc exstantes, & horum, si illi prærmortui sint, descendentes, nempe nepotes & neptes; liberi etiam posthumi, & adoptati ab ascendentibus. Respectu liberorum legitima est *triens*, vel *semissis* juxta superiùs *n. 59.* dicta: respectu dictorum nepotum est quidem eadem quantitas, licèt non succedant in capita, sed in stirpes loco suorum parentum. 2. Filii naturales respectu matris tantùm: sed de Jure Bavarico, si mater habeat liberos legitimos, debent esse legitimati. 3. parentes, ubi deficiunt liberi & nepotes; ubi etiam parentes deficiunt, alii ascendentes in gradu remotiori. *§. 2. Inst. de hæred. qual. §. 1. & 3. Inst. de exhæred. Nov. cit. c. 4.* Respectu parentum & ascendentium legitima est iterum *triens* seu tertia pars hæreditatis, quam accepissent ab intestato, si testamentum non fuisset factum; si enim præter ascendentes adsint fratres germani ipsius testatoris, dictus triens debet dividi inter ascendentes & germanos fratres. *arg. Nov. 18. c. 1. juncta l. Papinianus 8. §. 8. ff. de Inoffic. Testam.* 4. germani & consanguinei fratres & sorores, sed tantùm in casu, quo ipsis præteritis institueretur persona turpis, v. g. meretrix, concubinarius, leno, mimus, filius presbyteri, adulterinus, incestuosus, & quicunque infamiâ Juris vel facti laborans, imò etiam levi maculâ. *l. 27. C. de inoffic. test.* uti carnifices, & excoriatores animalium. tunc enim (secus si persona honesta fuisset instituta pro hærede) possent per actionem & querelam inofficiosi testamentum rescindere. *l. 27. cit.* Respectu fratrum & sororum, quando ipsis debetur, est *quadrans* seu quarta pars hæreditatis secundùm *l. Papinianus cit.* quæ quoad fratres nullibi, ut censetur communiùs, est correcta, licèt quoad ascendentes, & liberos correcta sit *Nov. cit. c. 1.* & juxta communem DD. cùm liberi & parentes sint correlativa. Ob similem rationem fratribus germanis tribuit dictam querelam D. Verlohner *art. 5. q. 5. n. 9.* licèt hæres institutus non sit persona turpis. per *l. 1. ff. & l. 21. C. eod.* cui quoad Germanos non derogat *d. l. 27.*

Dico 4. Hæredes, quos diximus esse necessarios, exhæredantur licitè & validè, si adsit justa causa Jure expressa, non verò ob alias. *Nov. 115. c. 3. & 4.* Causæ autem, propter quas liberi, & descendentes à parentibus & ascendentibus exhæredari possunt, ibi referuntur 14. nempe 1. si filius (vel descendens) violentas manus Parenti injecerit. 2. si ei maledixerit, vel aliam gravem injuriam intulerit. 3. si eundem criminaliter, extra casum, quo parens in Principem vel Rempublicam deliquit, accusaverit. 4. si cum gravi ejusdem præjudicio in honore vel bonis fortunæ detulerit Judicialiter. 5. si ejus vitæ insidias struxerit. 6. si filius (excipitur hìc filia) pro personâ aut debito patris detenti in vinculis vel carcere non fidejusserit rogatus. 7. si parentem ab hostibus captum non redemerit. 8. si furioso vel in amentiam lapso competens obsequium non præstiterit, sed eum neglexerit. 9. si cum noverca rem carnalem habuerit. 10. si testamentum facere vel mutare volentem violenter aut dolosè impediverit. 11. si se associaverit arenariis, vel mimis, nisi parens talem vitam duxisset. *Arenarii* vocantur, qui in arenam descendunt cum bestiis vel hominibus pugnandi causâ: quibus hodie annumerari dicuntur, qui pro pecunia aspicientium se variis armis cædunt, vulgò Feder-Fechter / Marx-Brüder / Lux-Brüder. *Mimi*, qui pro mercede ludos publicè faciunt coram communitate, vulgò Gauckler / Seil-Tantzer / Schalcks-Narren. 12. si ut maleficus versetur cum maleficis. 13. si defecerit à fide, factus hæreticus, ubi nempe hæretici non tolerantur. 14. si filia recusatis honestis nuptiis, & invitis parentibus, nupserit mancipio; vel ante 25. ætatis annum elegerit esse meretrix, vel libidinosè vixerit. Huc etiam aliqui contra communiorem revocant casum, quo proles ante 25. ætatis annum contra voluntatem parentum Matrimonium contraxerit cum indigno aut indigna. De Jure Bavarico tamen id verum est, si filia ante 25. & filius 67

ante 30. ætatis annum absque consensu parentum nupserit personæ turpi. Causas exhæredandi ascendentes eadem *Nov.* refert 8. quas ibi vide, & illas, propter quas exhæredare liceat fratres germanos, invenies *Nov.* 22. c. 47. Utrùm verò ob alias causas, æquè graves, vel etiam graviores, quàm sunt primùm enumeratæ, liceat parentibus exhæredes facere liberos, magna est controversia apud DD. Affirmat Covarruv. Fachin. Struv. Negant Molin. Perez. Haunold. &c. propter verba *cit. Nov. 115. c. 3.* ibi: *præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur.* Mihi videntur conciliari posse, si dicatur sufficere quælibet *injuria* æquè gravis, vel gravior, quàm in specie sit expressa in *d. Nov.* non verò aliud delictum, etiam gravius, quia in *§. 2.* dicit Imperator, sufficere *gravem & inhonestam injuriam parenti illatam*, & sic *in genere* expressit omnem injuriam gravem: quæ autem in specie pro sufficiente habenda sit, arbitrio Judicis relinquendum est: qualis utique meò Judicio foret, si filius non cum noverca, sed cum propria matre, rem carnalem habuisset; licèt hæc injuria in patrem non in specie legatur expressa.

68 Quæres, quænam requirantur, ut exhæredatio validè & ritè fiat? R. 1. ut validè fiat, requiritur 1. ut fiat nominatim, h. e. expresso nomine, ut constet, quem filium vel filiam velit exhæredare parens. 2. ut fiat purè, non sub conditione. 3. ut non fiat in codicillo, sed in testamento; cùm in codicillo nec dari nec adimi possit hæreditas. *pr. Inst. de exhæred. l. 1. 2. & 3. ff. de lib. & posthum. §. 2. inst. de Codicillis.* Vide tamen de hoc doctrinam. *n. 22.* traditam. R. 2. ut ritè fiat, & excludatur querela inofficiosi testamenti, opus est 1. causa justa, quæ sit una ex allatis. 2. ut ea exprimatur in testamento: quæ ceremonia & insertio causæ vocatur exhæredatio *cum elogio.* 3. ut hæres scriptus probet veritatem hujus causæ. *Nov. 115. cit. c. 3.* Quòd autem Testamentum de Jure non sit irritum, sed tantùm rescissioni obnoxium, si aliqua ex dictis tribus conditionibus desit, colligitur ex *ead. Nov.* quæ sic habet: *si hæc observata non fuerint, nullum exhæredatis liberis præjudicium generari, sed quantum ad institutionem hæredum pertinet, Testamentò evacuatò ad parentum hæreditatem tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire &c.* Neque hodie, saltem in praxi, ampliùs attenditur ulla differentia inter liberos in patria potestate constitutos, & emancipatos, sive à patre sive à matre exhæredatos, vel etiam præteritos, ut habet communior, id desumens ex *d. Nov. c. 3. & 4.* Porro in recitato textu notetur verbum *evacuatò*, id est, rescissò, quod indicat necessitatem sententiæ testamentū prævia actione rescindentis. Cœs. *ad tit. ff. de lib. & posthum. à n. 10.* & alii, contra Struv. Stryck. aliósque, qui factam aliter exhæredationem habent pro nulla ipso Jure. His dicitur etiam consonare praxis. Rursus notentur verba, *quantum ad institutionem hæredum*, quibus indicatur, corruente tali testamento salva manere legata, & fideicommissa. Tertiò notetur, eos, qui sunt in patria potestate testatoris, & hæredes non scribuntur, propriè *exhæredari*, illos verò strictè loquendo *præteriri*: quamquam hodie, saltem in praxi, non attendatur differentia inter liberos in potestate patria constitutos, & emancipatos, sive à patre sive à matre exhæredatos vel præteritos, ut habet communior, id desumens ex *d. Nov. c. 3. & 4.* Demùm notetur 4. exhæredationem, vel præteritionem, cessare ipso Jure, si exhæredatus, vel præteritus, profiteatur Religionem. *can. nit. caus. 19. q. 3. & Nov. 123. c. 41.* quamvis aliqui de auctoritate hujus *Nov.* dubitent, ex qua tamen *cit. can.* desumptus est. Rursus cessat, vel non valet exhæredatio, si pater in vivis adhuc, & (saltem ante conditum testamentum) filio reconciliatus, causam ingratitudinis tacitè vel expressè remisit.

Dico 5. Falcidia (idem ferè de Trebellianica, quibusdam dicendum videtur) non habetur cum 1. in legatis piis 2. in privilegiatis, quæ nimirum ita relinquuntur, ut non alienentur à legatariis, sed ad horum successores transeant. 3. si testator expressè prohibeat deductionem falcidiæ. 4. si hæres de bonis hæreditariis aliquid surripuit, vel negavit. 5. si hæres confecit Inventarium debito tempore & forma. *Auth. similiter. Auth. sed & Auth. sed constitutor C. ad L. falcid. l. 12. C. de testam. lib. Nov. 1. c. 2. pr. l fin. §. 14. C. de Jure delib.* Jus-men Bavaricum *art. 2. tit. 38.* permittit etiam in legatis piis, & aliis privilegiatis, Falcidiam quando ad eam non sufficiunt alia legata; jam non permittit testatori prohibitionem Falcidiæ.

Quæres, an filiifamilias unà cum Legitima detrahere possint Trebellianicam (aut Falcidiam) si nimiùm à testatore gravati sint fideicommissò (vel legatis) ut adeò duplicem in effectu quartam detrahere ipsis liceat? v. g. hæreditas sint 12. millia, certum est, quòd liberi, si non sint ultra quatuor, 4. millia detrahere valeant pro sua *Legitima*: an verò novam quartam de residuis 8. millibus, nempe 2. millia detrahere possint pro *Trebellianica* (vel Falcidia) de Jure Civili dubium admodum est. R. affirmativè. Sic enim satis clarè decisum est in Jure Canonico c. *Raynutius & c. Raynaldus h. t.* cum igitur de Jure Civili nihil sit clarè decisum in utram partem, idem obtinebit de Jure Civili *arg. c. 1. de N. O. N.* Accedit recepta consuetudo etiam in foro Civili, & Jus Bavar. *art. 6.* Ratio, quia hæredes liberi, & alii, quibus debetur legitima, non debent esse deterioris conditionis, quàm hæredes extranei. Adde, quòd Legitima debeatur Jure Naturali quoad substantiam vel in thesi, & quatenus necessaria est ad alimentationem: licèt quoad certam quotam hæreditatis, & quoad modum sit Juris Civilis. *c. 1. de Testam. in 6. Nov. 1. in præfat. §. 2. Nov. 18. c. 1. cum l. 36. §. 1. C. de inoffic.*

Dico 6. Adire hæreditatem, sibi delatam vel ex testamento vel ab intestato, potest omnis qui se obligare. Communis. Unde pupillus sine authoritate tutoris adire nequit. *l. 5. c. de jur. delib.* cùm sibi nocere posset adeundo, & sic

sic se obligando ad solvenda debita ac legata defuncti. Econtra tutor pro pupillo adire non prohibetur. *l. 18. §. 2. C. eod.* ita tamen, ut, si pupillus infantiam, nempe septennium, est egressus, nec tutor sine consensu pupilli adire valeat. *l. 5. cit.* Filiusfamilias hodie etiam invito patre adit validè. *l. 8. pr. C. de bonis, quæ liberis.*

72 Dico 7. Repudiare hæreditatem potest omnis, qui adire, & eam acquirere. *l. 18. ff. de acquir. vel amitt. hæred.* Hinc pupillus se solo repudiare nequit. *l. 5. C. de repud. vel abstin. hæred.* Qui autem semel adiit, repudiare ampliùs non potest; vel qui semel repudiavit, rursus adire. *l. 4. C. eod.* Excipe hæredem *suum*, qui hæreditatem repudiatam adire tamdiu permittitur, quamdiu non fuit alienata. *l. 6. C. eod.* Ex parte autem adire, & ex parte repudiare hæreditatem, nulli licet. *l. 1. 2. 10. ff. de acquir. hæred.* benè verò legata. *arg. l. 2. cit.* Porro si plures hæredes sunt instituti, & unus repudiat hæreditatem (vel adire nequit) ejus portio accrescit reliquis hæredibus, etiam nolentibus. Aliter tamen se rursus habet res in legatis, quæ, si repudiata fuerint, non accrescunt aliis legatariis, sed adjiciuntur hæreditati, & sic cedunt hæredi, nisi legatarii sint conjuncti à testatore, v.g. sic legante: Titio & Cajo meam Bibliothecam lego. *§. 8. Inst. de Legat.* ubi vide plura de jure accrescendi apud Civilistas.

73 Quæres, an valeat renuntiatio hæreditatis in alicujus favorem, vel etiam pactum positivum de hæreditate alterius? R. Si renuntiatio seu cessio in alicujus favorem, vel etiam pactum positivum, sit de hæreditate alterius jam mortui, vel viventis quidem adhuc, sed indeterminati, vel determinati quidem, sed consentientis, atque in hoc consensu usque ad mortem perseverantis, valet tam pactum, quàm renuntiatio. Si verò renuntiatio vel pactum respiceret hæreditatem alicujus adhuc viventis, & certi in individuo, atque sine illius consensu, vel non perseverante usque ad mortem, sed rursus revocato, non valet. *l. fin. C. de pact.* Ratio posterioris partis est; quia ejusmodi pacta & cessiones præbent occasionem optandi & captandi mortem alienam illi, in cujus favorem ceditur, vel per pactum relinquitur hæreditas aliena, dicunturque *l. fin. cit.* esse contra bonos mores. Ratio prioris; quia ejusmodi pacta sunt prohibita & irritata in favorem hominum privatorum, de quorum hæreditate agunt alii, adeóque illis licet huic favori renuntiare per consensum in hæreditatis suæ pactiones. Unde fit, ut juramentum à pacificentibus adjectum nec obligationem Religionis pariat, si is, de cujus hæreditate pacisc untur, non consentit; cùm nullum juramentum obliget in præjudicium tertii. Econtra ut juramentum, quod præstat consentiens in aliorum pactum circa suam hæreditatem, atque se obligans ad non revocandum consensum, teneat, & obligationem Religionis pariat non revocandi, cùm sine peccato & præjudicio tertii servari possit. *l. fin. cit. c. 28. de Jurejur.*

§. VI.

De Resolutione & Executione testamenti.

SCiendum 1. Testamentum *resolvi*, quando ex valido fit invalidum. Quadruplici id modo contingere potest. 1. irritatione. 2. destitutione. 3. ruptione. 4. rescissione. Priores tres modi invalidum reddunt ipso Jure, ultimus officiô Judicis per *querelam inofficiosi testamenti*, quæ est remedium extraordinarium, & actio, quæ datur à Jure iis personis, quæ in testamento contra pietatis officium fuerunt præteritæ, adversùs hæredes institutos, hæreditate jam adita; vi cujus petere possunt, ut testamentum rescindatur, & hæreditas sibi quasi ab intestato restituatur. Præter hos 4. modos non ampliùs datur quintus, quo olim testamentum lapsu decennii fuit infirmatum, ut habet clarus textus *l. 27. C. h. t.* Porrò, ut loquamur Juridicè ac propriè, *irritari* testamentum dicitur, quando ex parte testatoris supervenit vitium vel defectus, ex quo infirmatur testamentum, videlicet si patitur aliquam *capitis diminutionem* (h. e. statûs mutationem) nempe vel *maximam*, si fiat servus; vel *minorem* seu *mediam*, si proscribatur ex Romano Imperio; vel *minimam*, si alterius juri subjiciatur patiendo se arrogari ab alio. *Destitui* testamentum est quando ex parte hæredis emergit defectus: ut si hæres vel esse non potest, v. g. ob interventum mortis, aut non impletam conditionem: vel non vult, repudiando hæreditatem, vel abstinendo ab ea, aut si tanquam incapax adire nequit. *Rumpi* censetur, quando defectus non in persona testatoris, aut hæredis, supervenit, sed vel mutatio voluntatis in testatore, seu revocatio testamenti priùs facti, verbis, aut facto, aut erectione novi testamenti manifestata: vel quando supervenit filius posthumus, sive naturalis, sive civilis: *posthumus Naturalis* est filius, qui testatori post conditum testamentum ex justo matrimonio nascitur, de quo in testamento nulla facta est mentio, licèt statim iterum moriatur: *Civilis*, qui post conditum testamentum arrogatur, vel si adoptatur descendens ab ascendente; siquidem tam naturalis quàm civilis posthumus fit hæres *suus*. Denique *rescindi* testamentum contingit, quando per Judicem infirmatur prævia querelâ inofficiosi. Vid. *§. 1. seqq. Inst. quib. mod. testam. infirm. §. 2. Inst. de Lege Falcid. l. 1. & 3. ff. de injusto rupto. l. 1. & 2. ff. quæ in testam. delent. l. 3. C. de posthum. hæred. &c.*

74

75 Sc. 2. Executorem testamenti, & cujusvis ultimæ voluntatis, vel esse Legitimum, vel Testamentarium, vel Dativum, sicut Tutor hoc modo dividitur in Jure. *Legitimus* seu *Legalis* vocatur, quem ipsa Lex determinat & constituit: *Testamentarius*, quem testator nominat: *Dativus*, quem dat Judex vel Magistratus. Si nullo hærede instituto datus est executor ad voluntatem defuncti exequendam, ejúsque bona in salutem animæ expendenda, *Universalis* dicitur, ac instar hæredis reputatur, validéque in ordine ad executionem vendit bona defuncti: